



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De Ecclesiis destructis quomodo restaurari debeant. xxi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

Qui verò hoc fieri permiserint, canonum sententiis subiegebunt.

*De illis qui dotem Ecclesie sibi vindicare presumpserint. Cap. XX.*

*Ex cõcil. Toletan. cap. 19.* **M**ulti contra canonum constituta sic Ecclesias quæ edificauerint postulant consecrari, vt dotem quæ Ecclesie contulerint, censeant ad episcopi ordinationem non pertinere. Quod factum & in præteritum displicet, & in futuro prohibetur, sed omnia secundum consuetudines antiquam, ad episcopi ordinationem & potestatem pertineant.

*De Ecclesiis destructis quomodo restaurari debeant. Cap. XXI.*

*Ex decr. Ygini pape. cap. 5.* **V**t Ecclesie destructe, vbi aut plures sunt quàm necessitas, aut maioris magnitudinis, quàm vt ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint, episcopi prouidentia modus inueniatur, qualiter consistere possint.

*Quòd in vna terminatione plures baptismales Ecclesie esse non possint. Cap. XXII.*

*Ex cõcil. apud Aquasgras. cap. 5.* **P**lures baptismales Ecclesie in vna terminatione esse non possunt, sed vna tantummodo cum subditis capitulis. Et si contentio fuerit de terminatione duarum matricum plebes verarumque discernant, & si nõ conueniunt, lis Deo iudicio discernatur.

*Vt regularia monasteria nec vendi, nec commutari possint. Cap. XXIII.*

*Ex decr. Siluerii pape. cap. 1.* **N**emini regum aut cuiquam hominum in proprium liceat monasterium tradere, nisi ad aliud monasterium vel commutare, nisi cum alio monasterio, vel quocunque commento vendere. Hoc etiam diuina & apostolica atque canonica sub anathematis pona sanxit autoritas. Quod factum fuerit, non valebit, sed ipsum monasterium in primum reformatur statum.

*Vt non liceat alicui vnius Ecclesie terram nisi cambiati vertere ad aliam. Cap. XXIII.*

*Ex cõcil. Lugdun. cap. 5.* **N**on liceat episcopo, nec abbati, terram Ecclesie vertere ad aliam, quamuis ambæ sint in eius potestate. Tamen si commutare voluerint terras earum, cum consensu amborum faciant.